HOMILIARIUM, U.A. GREGORIUS MAGNUS

Entstehungsort unbestimmt, 1424 Seite 212r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35053
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore

turbis sua mysteria non dedignatur exponere a deo sed peccatorum penitenciam non esse respuendam manifestat, ut ipse dei filius ob hanc maxime querendam sit destinatus ad terras qui ut pietatis sue nobis dispensacionem in aula sepissime se filium hominis appellat commendaris sollicite nobis quod factus est benigne pro nobis

In illo tempore Stabat Ewangelium Johannem Johannes et ex discipulis eius duo. Et respiciens ihesum ambulantem dicit Ecce agnus dei. Et reliqua. Omelia Bede presbiteri

Tanta ac talis est scripture divine sublimitas, ut non solum verba que a sanctis vel ab ipso domino dicta referuntur, sed et circumstancia rerum que simpliciter posita videtur spiritalibus sit plena misteriis. Ecce enim narrante ewangelio fratres karissimi audiuimus, quia stabat Johannes et ex discipulis eius duo et respiciens ihesum ambulantem dicit. Ecce agnus dei, statimque cognouimus, ymo iam nobis ad memoriam reuocamus, quare ihesum precursor suus agnum dei vocauit, quia videlicet cum peccatis mortalibus singularis innocentem hoc est absque omni peccato mundum venit, quia nos suo sanguine redemit, quia dona sui velleris sponte largitur, ex quo vestem nobis nupcialem facere possimus, id est exempla bene viuendi nobis relicturum prouidit, quibus in dilectione calefieri deberemus /

Hoc ergo testimonium precursoris domini, quia facile patet fidelibus vite amoris intimum fontem audiencium cordibus infundit. Sed non est putandum quia sine celesti racione mysterii hoc relatibus ewangelista commiserit stetisse iohannem cum discipulis, ihesum vero ambulasse, et ibi utique ambulasse, ubi sequentibus se discipulis iohannis mansionem in qua habitabat ostenderet, ceteraque huiusmodi que sequenti lectionis ewangelice commemorant, si enucleacius discuciantur inveniemus celestibus redundare misteriis. Stabat Johannes et respexit ihesum, quia in magno iam culmine perfeccionis cum gressum fixerat, non inane celsitudinem divine maiestatis mereretur intueri. Stabat quia illam virtutis arcem conscenderat, a qua nullis temptacionum posset improbitatibus deici. Stabant cum illo discipuli, quia magisterium eius corde subsequebantur immobili. Et respiciens inquit ihesum ambulantem dicit Ecce agnus dei. Ambulacio ihesu dispensacionem incarnacionis qua ad nos venire ac nobis exempla viuendi prebere dignatus est insinuat, sicut mansio eius eternitatem diuinitatis in qua patri est patri equalis aptissime designat. Respiciens ergo ihesum ambulantem Johannes dicit Ecce agnus dei, quia videns eum inter homines conversantem, profusque illis vite celestis exempli et